

Yc. 100.

IVRIS
PVBLICI GERMANICI

IN ARTIS FORMAM REDACTI

DELINEATIO

ERUDITORVM EXAMINI SUBIECIT

DE

IVRE A POPVLIS CONDITO

IN ARTIS FORMAM REDIGENDO

PRAEFATUS

CAROLVS SALOMO ZACHARIAE

I. V. ET PH. D.

LIPSIAE,

A pud GERHARDVM FLEISCHERV M jun.

MDCCXCVII.

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE



P R A E F A T I O.

De jure a populis condito, in artis formam redigendo.

Non temere vulgo dictitant, juris, quod a majoribus accepimus, prudentiam longius, quam alias disciplinas, ab artis praestantia et perfectione abesse. Quod sive desidia hominum, qui his studiis vacant, sive imperitia accidisse existiment, vereor, ne injuria illis in culpam vertant, quod ab rei difficultatibus repetendum est, cum ne id quidem satis constet, *vtrum jus, quod populo alicui placuit, (positivum appellare solent et liceat sic appellare) in artis formam ridigi possit nec*

A

ne? Itaque cum jus publicum Germanicum ad disciplinae regulas exigere constituerimus, placet, hanc quaestionem cum in universum tractare, tum quae in ea examinanda invenerimus, ad nostram artem transferre.

§. 1.

Quod si haec demum *disciplina* dicenda est, in qua singula et ordine disposita, et ita inter se nexa sunt, ut unum ex altero universa autem ex praceptis quibusdam summis consequantur, intelligitur, jus positivum sic demum ad disciplinae laudem adspirare posse, si pracepta sua et justo ordine proponat, et apte inter se conjungat.

§. 2.

I) *Ordo* autem, quem in tradendis iuribus servare licet, aut dissentium voluntati accommodatus, aut ex ipsa rei, de qua agitur, natura expressus esse potest. Quodsi priori via ingredi placeat, jurisprudentia ita

tradita artis nomine vix digna videri potest,
siquidem artis vocabulum propria significatio-
tione adhibere velis. Restat ergo, ut videa-
mus, quid, si posteriori via incesseris, pro-
ficere possis.

Non inepte quidam praeceperunt, dissentium
etiam quam maxime interesse, ut ordinem,
quem in tradenda arte serves, ex ipsa rei na-
tura exprimas.

§. 3.

Jam vero, re accuratius considerata,
intelligitur, ordinem illum, ab ipsa rei na-
tura repetitum, non nisi eum esse posse,
quem jus naturae in tradendo jure, sive pu-
blico sive privato, servet. Hic enim, quippe
qui ab ipsa ratione profiscatur, omnem in
partiendo disponendoque temeritatem et li-
centiam excludit. Denique jus positivum
unice in eo versatur, ut juris naturalis pla-
cita aut sanciat, aut diligentius definiat, aut
mutet.

Dudum id intellexere Icti Romani, dum omne
jus ad *personas*, *res* et *actiones* referri volue-
runt, neque erat, quod recentiores nonnulli,
quem illi in tradendo jure civili ordinem ser-
varant, relinquenter, quandoquidem in
paucis tantum locis (quo jus personarum re-
fero) videatur emendandus esse.

§. 4.

II) Requirebatur porro in arte nostra
hoc, ut singula, quae proponerentur prae-
cepta, apte inter se conjuncta essent, quo
unum ex altero consequeretur. Quod au-
tem unum ex altero repeti volo, id duplarem
vim habere potest. Aut enim posita aliqua
sententia, alia praecepta, quippe quae in illa
lateant, necessario consequuntur; aut a con-
silio, quod sibi legislator proposuit, vincu-
lum, quo leges continentur, repetere licet.

§. 5.

Quo autem id, quod nobis hoc in loco
propositum est, perficiamus, partim A) de
praeceptis inveniēndis, unde *decreta artis*

nostrae ducamus, partim B) de his, ipsis
praeceptis inter se conjungendis cogitare
debemus.

§. 6.

A) Praecepta autem illa *primo ex jure naturali* peti possunt. Etenim ea est hujus
juris vis et ratio, ut legislator praecepta
ejus sancire debeat, nec, sivel minime illud
agat, praetermittere possit.

Proposui hanc sententiam ante hos tres annos
in libello, cui titulus est, Ueber die wissen-
schaftliche Behandlung des Römischen Pri-
vat - Rechts; simulque, jus privatum Roma-
norum hoc in primis modo in artis formam
redigi posse, contendi. Quam dissertationem
nuper C. H. Grosio, Antecessori Erlang. V.
C. quem honoris causa nomino, sub examen
revocare placuit in programmate, quod in-
scriptum est: Meditationes quaedam de ju-
sto philosophiae usu in tractando jure Romano
Erl. 1796. 4. Vix autem existimaverim, si
summam rei species, aliquam inter nos esse
controversiam. Etenim cum ipse de prae-
ceptis artis nostrae diligentius inter se con-

jungendis cogitetur, haud sane video, quo tandem pacto praecepta juris naturalis, siquidem legislator ea secutus sit, ad condendam artem juris positivi adhibenda esse, negare possit. Quod enim exempla, quae ad rem illustrandam attuleram, vituperat, omnemque *juris privati universalis*, quod dicitur, disciplinam evertit, id me, qui jam meliora edocitus sum, minime repugnante fecisse sciat. Illud tantum, quorundam hominum causa, monere liceat, ex ipsis legibus demonstrandum esse, hoc vel illud juris naturalis placitum, eaque, quae inde consequantur, genti alicui placuisse, si hac via et ratione jus civile condere, non evertere volueris.

§. 7.

Deinde vero haec praecepta ab *utilitate*, quae legislatorem, ut hoc illudve statueret, impulit, ducuntur. Quorum rursus duo genera esse possunt. *Aut* enim praeceptum aliquod in universum utile esse potest, *aut* ei civitati, cui probatum est, expedire.

Itaque ducuntur haec praecepta e *politica*, quae vel *generalis* est vel *specialis* (*s. applicata*).

§. 8.

Quanquam autem *prius* illud praceptorum genus ex arte politica, quae dicitur, recte repeti potest, tamen nihil obstat, quo minus idem ex moribus gentis et institutis illustretur; ex quo fonte *posteriorius* praceptorum genus unice duci potest.

Hinc, ex mea quidem sententia, non erat, quod methodus *axiomatica*, quam Heineccius in tradendo jure civili secutus est, relinquetur. Evidem certe, quem Institutionibus juris Romani ab Heineccio editis praferam libellum, non habeo.

§. 9.

B) Sed qui jus civile in artis formam cogere vult, praeterea illud videre debet, ut singula praceptorum genera perpetuo quodam vinculo conjungantur et ad certa capita revocentur.

§. 10.

Et praecpta quidem, quae ex jure naturali desumuntur, quippe quae artis pra-

cepta sint, natura sua cohaerent. Idem quodammodo valet de iis sententiis, quae e politica repetuntur, quamquam haec disciplina necdum ad justae scientiae modum revocata est, nec sane revocari potest. Quod autem attinet ad illa praecepta, quae genti alicui suae tantum utilitatis gratia placuerunt, haec sic demum ad certa quaedam capita redigere licebit, si certum quoddam consilium in legibus ferendis secuta esse videbitur.

§. II.

Ex iis, quae hactenus disputata sunt, facile intelligitur, quid in jure quoconque positivo requiratur, ut disciplinae vincula recipere possit, quibusque copiis instructus esse debeat is, qui id oneris in se succipiat. Nec tamen ullum jus positivum eadem diligentia, qua jus naturae, ad disciplinae regulam exigi poterit, cum non possit non à diversis praeceptis repeti.

In jure publico *delineando* vnice de locis hujus disciplinae ordine ac ratione proponendis ser-

mo esse poterat. Quod si olim, *fatis propitiis*,
hanc artem justo opere persequi licebit, in
singulis praexceptis apte inter se conjungen-
dis elaborabo. Ceterum brevitatis studio
latine et barbare scripsi. In majori illo ope-
rè, quod meditor, lingua utar vernacula.

IVRIS PVBLICI GERMANICI DELINEATIO.

P r o l e g o m e n a.

§. I.

Jus publicum, siquidem significationen verbi a re, quo pertinet, non a fonte, unde hau- riendum est, repetere velis; tradit formam lege definitam, qua homines aut gentes, juris sui tuendi gratia, in societas sive debent coalescere, sive coaluerunt.

Non est hujus loci, hanc definitionem vberius illustrare. Patet autem inde, jus publicum esse vel *jus publicum in specie* vel *jus gentium*; porro, vtrumque esse vel *naturale* vel *positivum*. — Jam cum is, qui jus publicum Germaniae tradere velit, tam juris publici pro-

prie sic dicti, quam juris gentium rationem habere debeat, hoc etiam in loco de utroque recte atque ordine proponendo praecipendum erit.

I) *De jure publico proprie sic dicto.*

§. 2.

*Jus publicum proprie sic dictum tradit formam lege definitam, qua homines juris sui tuendi gratia in civitatem sive coalescere debent sive coaluerunt *).* Quo autem intelligamus, quid in eo tractando Ictus sequi debeat, partim de *fontibus*, partim de ipso disciplinae *argumento* disputandum erit **).

*) Ex ipsa juris publici definitione colligi potest, quam male illi disciplinae juris publici Germanici consuluerint, qui *jus privatum Principium vel jura privata nobilitatis Imperii immidiatae* ad eam retulerunt, quippe quae jus Germanicum privatum commune jure suo sibi vindicat. Itaque reiiciemus haec et alia ejusmodi in Appendicem, cum, quae est studiorum academicorum ratio, praetermitti nequeat.

**) De fontibus juris publici positivi disputatio unice in prolegomenis instituenda est.

A) *De fontibus juris publici proprio sic dicti.*

§. 3.

Jus publicum naturale unice ex *pacto recipi* potest. Continet enim non nisi eas leges, quae ex conventione, qua civitas constituitur, necessaria ratione consequuntur.

§. 4.

Jus publicum positivum, aut *pacto*, aut *pacto et lege*, aut *lege tantum* definitum esse potest. De secunda juris publici positivi forma, disciplinae, quam tractamus, gratia, diligentius praecipiendum erit.

Civitatem vix ullam inveneris, in qua jus publicum pacto tantum conditum sit. Atvero extant nonnullae, quarum status publicus lege tantum descriptus sit.

§. 5.

Quodsi jus publicum, quod certae civitati placuit, tam *pacto*, quam *lege consti-*

tutum est, necesse est, ut utramque speciem separatim proponas *). Quae tamen regula exceptionem patitur, si penes eosdem et leges publicas ferendi, et pacta publica ineundi potestas perpetuo constituta est. Jam enim discrimen tollitur, quod inter utram juris publici formam sic demum obtinet, si utraque potestas, sive personis, quibus tributa sit, sive modo, quo exerceatur, distincta sit **).

*) Priorem speciem jus civitatis publicum, (Verfassungsrecht) posteriorem jus regimini publicum (Regierungsrecht) appellare possis.

**) Id vero de Germania affirmari potest. Quare nec distinctionem juris publici modo laudatam ad jus Germanicum publicum transferre licet.

B) *De argumento juris publici proprie sic dicti.*

§. 6.

Jus publicum, si argumentum ejus spectes, in tres partes abire videtur. *Prima*

de fundamentis, quibus jura civitatis publica nituntur, *secunda* de forma, *tertia* de iuribus civitatis, legibusque, quibus fines eorum reguntur, exponit.

De prima parte juris publici propriie sic dicti.

§. 7.

Jus publicum naturale hoc in loco *partim* origines civitatis, quas ex pacto repeti jubet, *partim* fundamenta constituit, quibus sanctitas civitatis, quae jam condita est, innititur.

Quo in loco ostendit: Civitatis statum, sive voluntate singulorum, sive vi constitutus sit, nullo modo perturbari posse; obsequium autem civile, *aut* ipso domicilio, quod quis in territorio civitatis habet, *aut* expressa voluntatis significatione confirmari.

§. 8.

Jus publicum positivum vero unice de fundamentis, quibus obsequium civile in ea civitate, cuius jura tradit, innititur, praeci-

pere potest. Etenim quod ad priorem illum locum attinet, in quo de originibus civitatis exponitur, haec quidem disputatio aut mere historica est, aut ad caput de fontibus juris publici, aut ad tertiam hujus disciplinae partem referri debet.

In jure publico Germanico haec disputatio partim historica est, partim vero ad cetera loca pertinet. — Juvabit quidem, ex historia in hac disciplinae parte ostendere, quomodo sensim gens in unam civitatem coaluerit, et rursus in plures civitates abierit, quo pacto territorii territoriorumve fines descripti fuerint. Haec tamen disputatio ab ipsis juris praceptis sedulo distinguenda est.

De secunda parte juris publici proprie sic dicti.

§. 9.

In describenda civitatis forma, aut penes quos summa imperii sit, aut a quibus respublica administretur, animadverti potest. Quod si ad eum eosve respicias, quibus summa potestas lege civitatis tribuitur, haec *imperii forma* dicitur. Sin eos spectes, qui jura

supremae potestatis exercent, modumque,
quo partes hujus potestatis iis datae sunt, haec
regiminis forma appellatur.

Imperii forma aut *simplex* aut e pluribus *composita* est. Forma imperii, quae Germanis placuit, ad posteriorem classem pertinet.— Olim hic locus in scholis diligentissime tractatus est. Recentiores caput de forma Imperii Germanici vix leviter attingunt. Haud scio, annon satis recte.

§. 10.

Jus publicum naturale de utraque et imperii et regiminis forma uno eodemque loco exponit. Etenim non est, quod res, natura sua conjunctas, oratione disjungat, cum et pauciora sint hujus juris de forma civitatis praecepta, et haec ipsa a juribus civitatis proponendis cominode separari possint.

§. 11.

At *jus publicum positivum*, quamquam in hac secunda parte, tam de forma Imperii, quam de forma regiminis exponit, tamen

hunc, qui de forma regiminis tradit, locum
in tertia etiam parte non potest non
attingere.

Jus publicum naturale ea etiam re a jure pu-
blico positivo differre videtur, quod illud lo-
cum de forma civitatis tum demum tractat,
ubi de juribus civitatis exposuit. Sed nos,
cum supra partes hujus disciplinae describe-
remus, doctrinam de forma civitatis in se-
cundam partem rejecimus, quia haec partitio,
juris publici positivi gratia, potissimum in-
stituebatur.

De tertia parte juris publici proprie sic dicti.

§. 12.

In tertia parte juris publici in primis de
juribus supremae potestatis ordine ac ratione
proponendis videndum erit. Qui quidem lo-
cus, sive jus publicum naturale, sive posi-
tivum species, multis difficultatibus impe-
ditus est.

Dividitur jus publicum, si jura supremae po-
testatis species, 1) in *generale* et *speciale*. Il-
lud jura supremae potestatis, quatenus in om-

nes ac singulos cives exercentur, exponit; hoc, quatenus ad certam tantum rem referuntur. 2) In *internum* et *externum*.

§. 13.

Etenim si ad jus publicum naturale respicias, et partitio, et ambitus istorum iurium a consilio pendet, quo homines in civitates coaluerunt. Jam alii, ut libertas hominum salva et munita esset, alii aliis de causis id factum esse contendunt. Nobis quidem prior sententia placet. Itaque, si qua civitas jura, quae ab hoc capite repeti nequeunt, sibi vindicavit, haec et sunt et appellantur jura supremae potestatis *positiva*.

§. 14.

Adhibenda tamen est in *his* iuribus proponendis distinctio, quae a plerisque pererram praetermittitur. Alia enim sunt eiusmodi, ut a privatis exerceri plane nequeant, alia contra ita comparata sunt, ut in bonis privatorum esse quidem possint, civitas au-

tem aut sibi soli, aut sibi pariter ac privatis ea tribuerit; quae *privata* civitatis jura appellare licet.

E jure publico Germanico exempla istorum iurium, quae privata appellavimus, peti possunt. Videntur autem partim ad aerarium civitatis locupletandum, partim propterea esse introducra, quod, salva civium libertate, a privatis yix exerceri possunt. (Quo jus monetandi refero)

II) *De jure gentium.*

§. 15.

Jus, quo gentes inter se utuntur, dicitur *jus gentium*.

Non erat, quod haec disciplinae appellatio non nullis displiceret, qui eam *jus civitatum publicum* dici voluerunt. Neque enim illi satis animadvertisse videntur, in hoc jure civitatem non eatenus considerari, quatenus cives supremae potestati subsunt, (quo facto civitas proprie appelletur) sed quatenus personam moralem i. e. gentem constituit — In hac autem de jure gentium disputacione ratio, quam in describendo jure publico

proprie sic dicto secuti sumus, paululum
immutanda erit; cuius instituti causas bre-
vitatis studio omittimus.

§. 16.

Jus gentium in privatum et publicum
recte dividitur. *Jus*, quo gentes in statu
naturali, h. e. antequam, juris sui tuendi
gratia, foedere sive aequali sive inaequali
junctae sunt ^{*)}, vtuntur, *jus gentium privatum*
appellatur. *Jus gentium publicum* autem ra-
tionem tradit, qua gentes, quo libertatem
tuerentur, in societatem coaluerunt. Utrum-
que tam *naturale*, quam *positivum* esse potest.

^{*)} Sive, antequam jure belli sese abdicarunt.

A) *De jure gentium privato.*

§. 17.

Jus gentium privatum partim iura, quae
gentibus sive a natura sive pacto tributa sunt,
partim modum, quo haec iura legitime tueri
possint, exponit.

Itaque jus g. p. in duas partes abit, quarum altera *theoretica*, (s. materialis) altera *practica* (s. formalis) in scholis appellari solet. — Quo utraque diligentius constitui, et ad nostram rem transferri possit, haec addere placet. 1) An jus inter gentes consuetudine introduci possit? quaesitum est. Et videtur introduci posse, modo consuetudo pacis sive servandae sive parandae gratia placuerit. 2) Posterior pars j. g. priv. de jure belli et pacis exponit. Quo in loco diligenter videntur ne fines, quibus jus gentium et jus publicum externum distinguuntur, turbentur. 3) Jura gentis, quae in priori hujus disciplinae parte traduntur, jure gentium publico sanciuntur: plane quemadmodum jura privata singulorum hominum constituta civitate confirmantur. 4) In jure publico civitatis alicuius tradendo, ad jus gentium privatum, siquidem fines, quibus jus publicum regitur, migrare nolis, respici nequit. Tamen liceat, in jure publico Germanico proponendo, hanc etiam disciplinam attingere, cum jus g. privatum in locum publici quodammodo succedat.

B) *De jure gentium publico.*

1) *De fontibus eius.*

§. 18.

Jus g. p. naturale non nisi ex pacto repeti potest; positivum autem, vel pacto, vel pacto et lege, vel lege tantum constitutum esse potest.

Pacto, si foedere aequali gentes inter se junctae sunt; pacto et lege, si conventione civitates in unam rem publicam coierunt; lege, si civitas v. c. coloniam in aliquem locum deduxit vel gentem belli jure in ditionem accepit.

B) *De argumento ejus.*

§. 19.

Si argumentum juris gentium publici spectes, potest haec disciplina eodem fere modo dividi, quo jus publicum propriè sic dictum a nobis divisum est. Quare diutius huic loco immorari nolo, ne aut dicta repe-

tere aut latius, quam hoc loco commodum
sit, vagari videar.

§. 20.

Jam si, quae hactenus disputata sunt,
ad jus publicum Germanicum transtuleris, hanc
disciplinam in quatuor potissimum partes
abire intelliges. Cum enim Germania partim
unius imperio pareat, partim vero in plures
civitates divisa sit, *primo* de jure publico Imperii Romano-Germanici, *deinde* de jure publico territoriorum Germaniae, *postea* de jure gentium ad Imperium Germanicum, *denique* de eodem ad territoria Germaniae translato,
exponendum erit *).

Non ignoro, quae pro jure publico tam Imperii,
quam territoriorum Germaniae, conjunctim
proponendo argumenta afferri soleant. Nec
tamen illa contra nos ullo modo valere pos-
sunt, qui jus publicum Germaniae *in artis*
formam redigere constituerimus. Praeterea
discentium etiam quam maxime interesse vi-
detur, ut vtraque disciplina separatim tracte-

tur. Quod enim a conjuncta utriusque artis tractatione speratur commodum, ut similitudinem, quae inter utrumque jus intercedat, melius intelligas; id et alio modo parari potest, nec damna, quae ex hac ratione emergunt, compensaverit.

- * In quibus partibus deinceps delineandis id unice spectabimus, ut, quo ordine singula proponenda sint, intelligatur. De argumen-
to, in quo singula earum capita versantur, tum demum diligentius disputabitur, si disci-
plinae ratio exigere videatur, ut illud alio
modo, quam hactenus, describatur, vel si
exemplis ad illustrandum id, de quo agitur,
opus sit.

I. JVS PVBLICVM IMPERII ROMANO - GERMANICI

P r o l e g o m e n a.

Cap. I. De finibus disciplinae nostrae.

Cap. II. Quid in constituenda civitatis nostrae
forma legislator spectasse videatur?

Cap. III. De fontibus juris publici I. R. G.
Sectio I. De j. p. I. scripto.

Obs. 1. J. p. I. scriptum, partim ex
pactis, partim ex legibus publicis
ducitur. Quare haec sectio in
duas partes abire videtur.

Obs. 2. Extant pacta, quae a membris hujus
illiusve collegii, cui certae imperii par-
tes forma civitatis nostrae tribuuntur,
eo consilio inita sunt, quo sua privatim

jura modumve in exercenda potestate servandum describerent. De his tum demum dicendum erit, ubi de his ipsis collegiis disputabitur.

Sectio II. De jure publico I. R. G. non scripto, s. de observantia Imperii.

Obs. *Analogiam juris publici eodem vulgo referunt, quae tamen, cum sit species interpretationis, adminiculis j. p. annumeranda est.*

Cap. IV. De adminiculis, quibus disciplina nititur.

Quo pertinent:

- 1) jus publicum universale,
- 2) ars politica,
- 3) historia Imperii,
- 4) historia artis nostrae,
- 5) notitia librorum, quibus illustrata est,
- 6) hermeneutica,
- 7) statistica, quae dicitur etc.

Obs. Statistica, quae statum civitatis, qui est, describit, in tradendo jure publico Germaniae saepissime in auxilium vocanda est, cum et multa hujus juris capita nec lege nec consuetudine satis definita sint, et status civitatis, qui est, ab eo, qui ex legibus esse debebat, paululum reddit. Tamen quae ex statistica in tradenda arte nostra repetuntur ab eo, quod juris est, probe distinguenda sunt.

Juris publici Imperii R. G.

Pars Prima.

De fundamentis, quibus obsequium civile in Imperio R. G. nititur.

Obs. Duplex, ut supra vidimus, fundatum esse potest, quo obligatio ad obsequium civitati praestandum

nitur. Quare haec prima disciplinae pars duo capita complectitur.

Cap. I. De territorio Imperii R. G. sive de finibus Imperii.

Obs. 1 Itaque exponitur hoc capite de illa obligationis ad obsequium civile contrahendae specie, quae proverbio — quicquid est in territorio, idem est de territorio, significatur.

Obs. 2. Quo ambitus territorii G. describatur ad obsequium provocare licet, quod ii Imperio praestant, qui singulis Germaniae provinciis praesunt. Quatenus enim pactis inter Imperium aliasque gentes initis hoc territorium definitur, ad jus gentium haec tractatio pertinet.

Obs. 3 Corollarii loco dicatur de originibus territorii Imperii.

Cap. II. De modo, quo personalis obligatio ad obsequium civitati praestandum in Imperio contrahitur.

Obs. Itaque dicendum erit h. l. de homagio et vasallagio, exhibita distinctione inter subditos Imperii immediatos, et mediatos, quae huius potissimum loci esse videtur.

Juris publici Imperii Romano-Germanici

Pars Secunda.

De forma civitatis Germanicae.

Liber primus.

De forma Imperii, quae Germanis placuit.

Praef. De forma Imperii G. in genere.

Obs. 1 Forma Imperii, quae Germanis placuit, haec est, ut territorium

Germanicum in plures provincias divisum sit, quae tamen unam civitatem ita consituunt, ut unius, qui Electorum suffragiis Imperio praeficitur, majestas, statuum potestate temperetur. Itaque in hac parte tam de Imperatore, quam de statibus Imperii dicendum erit, denique de ratione, quae inter Imperatorem et status quod ad summam potestatem intercedit. Ne autem *fines*, quibus haec disciplinae pars continetur, temere transcendendas, unice h. l. videntur erit, cui suprema potestas tributa sit, quomodo in hujus juris communionem veniant, quoque pacto singulis ac universis commissa sit. De modo, quo exerceatur, et de divisione Germaniae in plura territoria disputare, non est hujus loci.

Obs. 2. Antequam de Imperatore dicuntur, de Statibus Imperii exponendum est, propterea quod, quae de Impe-

ratore praecipienda sunt, aliter intelligi nequeunt.

Sectio I. De statibus Imperii.

Praef. *De statibus Imperii in genere.*

Obs. Dicendum erit h. l. de charactere status Imp. qui vocatur, iisque eorum divisionibus, quae ad describendam Imperii formam pertinent. Quare de circulis Imperii h. l. vix tradi potest.

Cap. I. De diversis statuum collegiis.

Obs. In singulis examinandis id unice agimus, ut, qui inter membra collegii referendi sint, videamus.

- I. *De collegio Electorum.*
- II. *De senatu principum.*
- III. *De collegio civitatum Imperii.*
- IV. *De corpore Catholicorum et Evangelicorum.*

Cap. II. De ratione, quae inter membra singularium collegiorum intercedit:

A) In genere.

Obs. Quo in loco videndum erit, quatenus sint collegia, porro de votis virilibus et curiatis, deinde de regulis plurima vota valent; denique de jure directorii.

B) In specie.

Quod ad collegium electorale etc. etc.

Cap. III. De ratione, quae his statuum collegii inter se intercedit.

A) in genere.

B) in specie.

1) De ratione, quae intercedit inter collegium electorale, principum et civitatum I.

2) de ratione, quae intercedit inter C. Evangel. et Catholicorum.

Sect. II. De Imperatore.

Obs. In singulis hujus sectionis capitibus, quis sit, quis et quomodo constituantur, qui Imperio praesit, quaerendum erit.

Cap. I. De Imperatore.

Cap. II. De Rege Romanorum.

Cap. III. De vicariis Imperii.

*Sectio III. De ratione, quae intercedit inter
Imperatorem et status Imperii quod ad
summam potestatem.*

Cap. I. De hac ratione in genere.

A) De ratione inter Imperatorem et
status Imperii in genere.

Obs. Hoc in loco spinosa illa quaestio
attingenda erit, utrum vis Imperii in
Imperatore, an in statibus Imperii,
an in utrisque residere videatur?

B) De ratione inter Vicarios Imperii et
status Imperii in genere.

Obs. Hoc in loco videndum erit, qua-
tenus Vicarii Imperii in locum Im-
peratoris succedant?

Cap. II. De hac ratione in specie.

A) Quoad tria statuum collegia.

B) Quoad Corpus Evangelicorum et Ca-
tholicorum.

Obs. Quo in loco v. c. dicendum erit
de jure Imperatoris, voluntatem sta-
tuum ratam habendi, de jure deci-
dendi in dissensu trium collegiorum.

Liber Secundus.

*De forma regiminis in Imperio Rom. - Ger-
manico.*

Praef. De hac forma in genere.

Obs. Hinc intelligere licebit, disputa-
tionem, quae h. l. instituatur, debere
esse bipartitam. In singulis parti-
bus, tam de iis, per quos supremae
potestatis partes exercentur, quam
de modo, qui in negotiis tractandis
servandus sit, exponendum erit, ita
tamen, ut jurium, quae singulis tributa-
sunt, mentionem haud facias.

Sectio I. De administranda civitate, quate-
nus administratio ejus ad status Imperii
non pertinet.

Cap I. Quatenus Imperatori reicta est.

Obs. Dicendum erit h. l. de Electoribus
ab Imperatore in consilium adhiben-
dis, de Cancellario et Vicecancellario
Imperii, de commissariis, legatis etc.

Cap. II. Quatenus ad Vicarios Imperii
spectat.

Cap. III. Quatenus certis collegiis in per-
petuum commissa est.

- A) De judicio camerae Imperialis.
- B) De consilio imperiali aulico.

Obs. I. Describatur forma utriusque col-
legii, modusque quem in agendis ne-
gotiis, ipsorum potestati commissis,
servare debeant.

Obs. 2. Hic de Iudiciis imperii locus
infra demum ubi de potestate jus di-
cendi disputabitur, tractandus esse vi-
deri possit. Tamen, ne in hanc
sententiam concideremus, prohibe-
bat, quod non tantum jurisdictio per
haec collegia administratur.

Sectio II. De administranda civitate, quatenus
administratio ejus ad status Imperii pertinet.

Cap. I. De personis, per quas potestatem
sibi commissam exercere possunt.

Cap. 2. De modo, quo eam exercent.

A) De comitiis Imperii.

B) De deputationibus I.

C) De conventibus statuum particularibus.

Obs. H. l. de comitiis electoralibus unice
dici posse videtur, cum caeteri sta-
tuum conventus ad describendam re-
giminis formam, vix pertineant. De
his potius in jure publico practico
dici par est. (De conventibus cir-
culorum separatim dicetur).

D) De comitiis Corporis Evangelicorum
et Catholicorum, et de modo; quo inter-
se de placito communi convenienti.

E) De circulis Imperii.

Juris publici Imperii R. G.

Pars tertia.

*De juribus supremae potestatis in Imperio Rom-
Germ.*

Praef. De juribus supremae potestatis in Imperio R. G. modoque, quo exerceri debeant in genere.

Obs. Quo in loco cum de partitione eorum in genere, tum de juribus Imperatoris reservatis, quae dicuntur, dicendum erit. Praeterea de lingua, qua in negotiis I. publicis utendum est etc.

Obs. 2. In tradenda hac parte illud in primis videndum erit, ne quae ad jus publicum territoriale referenda sint, praecipias. Id vero potissimum in exponendis juribus reservatis Imperatoris accidere potest. Itaque auctor fuerim, ut, non tam quatenus sint jura reservata, quam quomodo ab Imperatore exerceri debeant, h. l. quaeras.

Obs. 3. In singulis supremae potestatis partibus describendis tam ad Im-

peratorem, quam ad Vicarios Imperii respici par est. Tamen, quia hic locus (de juribus vicariorum) nondum lege nec consuetudine satis definitus est, separatim et quidem sub finem juris publici tam generalis, quam specialis, eum tractare placet,

Partis tertiae Sectio prior.

Jus publicum Imperii generale.

Liber I. Jus publicum generale theoreticum.

Jura supremae potestatis in Imperio R. G.

A) *Ex jure naturali.* *G. p. 43.*

I) *Generalia;*

A) *Potestas legislatoria,*

i) de potestate legislatoria proprie sic dicta,

a) *quatenus ab Imperatore, consensu statuum, exercetur.*

b) *quatenus ab electoribus solis exer-*

cetur s. de jure adcapitulandi
electorum.

2) de jure interpretandi leges.

B) Potestas judiciaria.

1) De jurisdictione contentiosa.

1) Penes quem sit constituta?

2) Per quos exerceatur.

a) de judicio camerae I.

b) de consilio I. aulico.

c) de judiciis Caesareis provincialibus.

3) de ratione, quae inter haec colle-
gia intercedit.

4) de causis exemptis a cognitione
tribunalium Imperii.

5) de iis, in quos jurisdicatio exer-
cetur.

a) de immediatis subditis Imperii.

Quo in loco de jure austraegarum
exponendum erit.

b) de mediatis s. I. quatenus juris-
dictioni Imperatoris subsunt:

α) in prima instantia.

B) si ad Iudicia I. provocatum fuerit.

6) de remediis, quae contra sententias, ab istis judiciis latae, adhiberi possunt.

II) De jurisdictione voluntaria.

1) quatenus ab imperatore in actibus publicis subditorum I. immediatorum confirmandis exercetur.

2) quatenus in causis privatis eorumdem locum habet.

3) quatenus ab Imperatore in causis subditorum I. mediatorum exercetur.

C) Potestas administrativa sive executiva.

Obs. De hac, quatenus est jus supremae potestatis *generale*, vix quicquam in arte nostra praecipi potest, cum modus, quo exerceri debeat, unice a rebus, quo refertur, pendeat.

II. *Specialia.*

Obs. De his illud in universum tenendum est, oriri haec sp. s. p. j. sic, ut iura generalia ad certam rem referantur.

1) *Subjectiva* — quae spectant id, ut potestas a civitate exerceri possit.

A) *Generalia* — jura, quibus civitas hoc consequitur, ut potestatem in universum exercere possit.

1) Jus munierum publicorum.

2) Jus supremae inspectionis.

Quo in loco v. c. de visitatione camerae I. et consilii I. aulici dicendum erit.

3) Jus exigendi a subditis, ut onera publica in se suscipiant:

1) de jure tributorum.

a) in specie.

b) de jure vectigalium.

2) de jure armorum.

Obs. De jure armorum tamen infra demum tractare placet.

B) *Specialia* — jura, quibus suprema potestas id consequitur, ut singulas imperii civilis partes exercere possit.

Obs. Per multa jura huc pertinent, de quibus tamen rectius in singulis

supremae potestatis partibus, quarum causa placuerunt, dici poterit. Pertinet v. c. huc jus promulgandi leges.

II) *Objectiva* — quae pertinent ad consequendum id, quod civitati propositum est.

A) *Immanentia.*

I. Potestas politiae.

II. Potestas civilis.

III. Potestas criminalis.

Obs. Potestas politiae, civilis et criminalis, est suprema potestas, quatenus aut ad pericula, quae paci publice privatimque imminent, avertenda, aut ad suum cuique tribuendum, aut ad delicta punienda pertinet.

B) *Transeuntia.*

I) De jure belli

1) de jure armorum.

2) de jure bellum indicendi.

3) de jure in bello Imperii gerendo.

II) de jure pacis.

1) de jure foederum

2) de jure pacis.

B) *Ex jure positivo.*

I) *Publica.*

De jure privilegiorum, quod pro varietate causarum, quo pertinent, varie dividi potest.

II) *Private.*

Sunt:

1) vel *jura personalia.*

a) de jure postarum

b) de jure monetandi.

2) vel *realia.*

a) de clenodiis Imperii.

b) de domaniis I.

c) de feudis I.

d) de jure fisci.

Liber II. Jus publicum I. R. G. generale practicum.

Partis tertiae Sectio posterior.

Jus publicum Imperii R. Germ. speciale.

Obs. Per multae hujus juris species cogitari possunt. Nos tamen in jure

publico ecclesiastico delineando subsystemus, quod p[re] caeteris separata tractatione dignum esse videbatur.

Jus publicum Imp. R. G. ecclesiasticum.

Praef. De hac disciplina in genere.

Obs. Multa h. l. tradi solent, quae nullo modo hoc referenda sunt. I. p. e. unice spectat modum, quo singulae Imperii partes, si ad ecclesiam referantur, administranda sint. Itaque de iuribus, quae sunt ecclesiae, h. l. exponi nequit. Quamquam enim haec jura ideo h. l. proponenda esse videantur, quod pacto apud nos sunt definita, atque ita potestatem legislatoriam certis finibus includunt, nihil secius tamen, si de *jure publico Imperii* sermo est, juris privati sunt, cum in Imperio R. G. penes eosdem sit jus, et leges ferendi, et pacte publica ineundi. In *jure publico Germaniae territoriali* omnino erunt

commemoranda. Quatenus autem
jura publica statuum Imperii etc. a
fide, quam profitentur, pendeant, in
jure publico generali videndum est.

*Liber I. Jus publicum I. R. G. ecclesiasticum
theoreticum.*

*Sectio I. De forma civitatis nostrae,
quod ad ecclesiam.*

Obs. 1. Licebit in h. I. paucis defungi,
siquidem j. p. eccl. juri p. I. generali
subjungatur. Scilicet, quae ad hunc
locum pertinent, (de Corp. Evang. et
Cathol.) jam supra non poterant non
attungi, cum penes haec collegia
non sola potestas publica in ecclesiam
constituta sit.

Obs. 2. Ne quis ideo nos reprehendat,
quod, qui jus p. I. e. in tertiam par-
tem rejecerimus, tamen de *forma ci-*
vitatis nostrae praecipiamus. Et.

enim id tantum contendimus, principium dividendi jus publicum in generale et speciale in hac tertia parte disciplinae inesse.

Sectio II. De juribus supremae potestatis in I. R. G. quoad ecclesiam.

Sunt:

1) *Publica.*

Obs. H. l. singulas quas supra descripsimus, supremae potestatis partes, ratione ecclesiae examinare par est.

2) *Privata.* Quo v. c. pertinet:

1) jus primiarum precum, quantum est Imperatoris.

2) jus concedendi Panisbriefe.

Liber II. Jus publ. I. R. G. practicum s. de gravaminibus religionis.

II. JVS PVBLICVM GERMANI- CVM TERRITORIALE.

Prolegomena.

Cap. I. De finibus disciplinae nostrae.

Obs. I. p. G. t. est vel universale vel particulare, vel specialissimum. H. l. tantum de universalis exponitur.

Cap. II. De fontibus j. p. G. t. universalis.

Obs. Est illud tam lege quam pacto defi-
nitum. Legum a statibus et Impera-
tore latarum haec vis esse potest,
ut pacti instar ab iis, quorum est

potestas legislatoria, in singulis ter-
ris immutari nequeant.

Cap. III. De adminiculis, quibus disciplina
nostra nititur.

Obs. H. l. comparationem instituere et
licet et juvat inter jus publicum Im-
perii et territoriale.

*Juris publici G. territorialis uni-
versalis.*

Pars Prima.

*De fundamentis, quibus obsequium civile in sin-
gulis Germaniae territoriis nititur.*

Cap. I. De Superioritate territoriali, s. de di-
visione Germaniae in territoria, eorumque
finibus.

Obs. I. Alia territoria sunt clausa, alia
non. In aliis Landsassiatus plenus

in aliis minus plenus obtinet.

Obs. 2. Erunt h. l. origines superioritatis territorialis territoriorumque ex historia repetendae.

Cap. II. De modo, quo personalis obligatio ad obsequium civitati praestandum in singulis Germaniac territoriis contrahitur.

Juris publici G. terr. universalis

Pars Secunda.

De forma civitatis, quae in territoriis Germaniae expressa est.

Liber Primus.

De forma Imperii quoad territoria Germaniae.

Praef. De hac forma in genere.

Obs. H. l. in primis quaerendum erit, quatenus superioritas territorialis vim

D

imperii s. omnes supremiae potestatis partes complectatur?

Cap. I. De iis, quibus superioritas territorialis est.

1) Proponendae sunt h. l. diversae eorum classes.

2) Videndum erit, quomodo singuli potestatem suam consequantur.

Cap. II. De ordinibus provincialibus.

Obs. 1. Complectimur hac appellatione omnes, qui in exercenda superioritate territoriali ex forma singularum civitatum in partes veniunt

Obs. 2. Distinguendum erit h. l. inter diversa civitatum genera.

Obs. 3. Pleraque omnia, quae h. l. traduntur, ex statistica aut ex j. p. t. speciali repetuntur. Tamen hic locus prætermitti non poterat, non tam propterea, quod j. p. t. generale viam sternit ad jus p. t. speciale propo-

nendum, quam quod ex Imperii R. G. forma ii, qui singulis provinciis praesunt, in certis juribus exercendis ad consensum subditorum adstricti sunt.

Liber Secundus.

De forma regiminis quoad territoria Germaniae.

Obs. Cum forma, quae in administranda civitate in singulis Germaniae territoriis servanda sit, legibus Imperii in paucis tantum capitibus definita sit, intelligitur, ea, quae h. l. traduntur, maximam partem ex statistica repetita esse — De singulis hujus libri partibus ideo monere quicquam nolo; quod partitio ejus eodem fere modo institui poterit, quo in jure p. I. G. instituta est.

Juris publici territ. universalis

Pars teria.

*De juribus supremae potestatis in singulis
Germaniae territoriis.*

Praef. De his juribus in genere.

Obs. Vix est, quod moneam, haec jura eodem, quo supra, modo partienda esse. In singulis autem considerandis ad duo potissimum capita respiendum erit. Possunt enim aut quoad jus ipsum (s. potestate Imperatoris s. potestate Imperatoris et statuum s. juribus subditorum) aut quoad res, quo referuntur, restricta esse.

Partis tertiae Sectio prior.

Jus publ. t. Germaniae generale.

Lib. I. J. p. t. G. generale theoreticum.

Jura superioritatis territorialis.

A) *Ex jure naturali.*

I) *Generalia.*

A) *Potestas legislatoria.*

Obs. H. in loco in primis quaestio tra-
ctanda erit, quatenus leges Imperii
legibus provincialibus tolli possunt.

B) Potestas judiciaria.

- 1) De jurisdictione contentiosa.
 - a) penes quem constituta est.
 - b) per quos exercenda est.
 - c) de ratione quae intercedit inter
jurisdictionem territorialem et Im-
peratoris.

Obs. Cum hoc caput tam ad jus publi-
cum Imp. quam ad j. p. territ. per-
tineat, optio datur, quo in loco il-
lud tractare velis.

- d) de ratione, quae intercedit inter
diversa territorii judicia.
- 2) de jurisdictione voluntaria.
 - a) per quos exercenda est.
 - b) quatenus subditi in causis priva-
tis confirmatione principis opus
habent.

C) Potestas executiva.

II) *Specialia.*

I. *Subjectiva.*

1) Jus munerum publicorum.

Obs. H. l. v. c. quaeri poterit, quatenus ea munera publica, quae ab Imperatore in singulis territoriis conferuntur (de notariis potissimum id intelligi volo) non sine auctoritate principis exerceri possunt. Praeterea de jure mittendi legatos etc.

2) Jus supremae inspectionis.

Obs. H. l. v. c. illae Imperii leges laudandae erunt, quibus adeo principes ad certas hujus potestatis partes exercendas obligantur.

3) Jus exigendi a subditis, ut onera publica in se suscipiant.

1) de jure tributorum

a) in specie.

b) de jure vectigalium

c) de jure conducendi.

d) de jure exigendi viaticum et pontaticum, quod dicitur.

2) de jure armorum. Vid. infra.

II. *Objectiva*

A) *Immanentia*.

I) Potestas politiae.

II) Potestas civilis.

III) Potestas criminalis.

Obs. In singulis examinandis in primis
deratione, quae inter superioritatem
territorialem et potestatem, quae
Imperatori et statibus Imperii est in-
tercedit, videndum erit.

B) *Transeuntia*.

1) quatenus ad jus gentium respiciunt,
s. de jure belli et pacis.

1) de jure belli.
a) de jure armorum.

b) de jure bellum indicendi.

c) de jure in bello gerendo.

2) de jure pacis
a) de jure foederum.
b) de jure pacis.

Obs. Illa h. l. quaestio attingenda erit,
utrum et quatenus, bello imperii
decreto, singuli status s. pacem face-

re, s. neutrius partis esse possint,
nec ne?

3) Quatenus ad jus singulorum sive emigrandi s. immigrandi pertinent.

1) de juribus superioritatis territorialis
quoad emigrationem subditorum,

a) sive imperandam,

b) sive permittendam vel prohibendam.

Obs. Posteriori loco de gabella emigrationis dicendum erit.

2) de jure s. t. recipiendi peregrinos.

a) in universum.

b) in specie de jure recipiendi Ju-
daeos.

Obs. De posteriori regalium transeun-
tium specie in jure publico Imperii
sermo esse nequit, quia, ut exerceri
possint, territorio immediate subjecto
opus est.

B) *Ex jure positivo*

I) *Publica.*

De jure privilegiorum.

Obs. Quo in loco v. c. de juribus reservatis Imperatoris, quatenus superioritatem t. restringunt, dicendum erit.

II) *Privata.*

A) *Personalia. v. c.*

- 1) de jure monetae,
- 2) de jure postarum.
- 3) de jure venandi.

B) *Realia v. c.*

- 1) de juribus, quae ex superioritate territoriali, quatenus dominium provinciae complecti videtur, repeti solent.
- 2) de feudis provincialibus.

Lib. II. Jus p. t. G. generale practicum.

Partis tertiae Sectio posterior.

Jus p. territoriorum G. universale speciale

J. p. t. G. ecclesiasticum.

Praef. De disciplina nostra in gen.

Lib. I. p. t. G. e. theoreticum.

Sectio I. De titulo, quo suprema potestas in ecclesiam, quae principis est, nititur.

Obs. Ostenditur h. l. vi superioritatis territorialis hanc ei potestatem competere.

Sectio II. De forma civitatis quoad ecclesiam.

Cap. I. De forma Imperii q. e.

A) De ambitu potestatis ecclesiasticae vi superioritatis territorialis competente.

Obs. Dicendum erit h. l. de systemate territoriali, episcopali et collegiali. Nobis territoriale probatur.

B) De divisione territoriorum Germaniae in Evangelica, Catholica et mixta, quantum ad describendam imperii formam pertinet.

Cap. II. De forma regiminis quoad ecclesiam.

A) In territoriis Catholicis.

B) In t. Evangelicis.

C) In t. mixtis.

Sectio III. De juribus supremae potestatis in ecclesiam.

A) De juribus supremae potestatis in ecclesiā propriē sic dictis.

B) De juribus potestatis ecclesiasticae.

Obs. 1. Posterior jurium species eodem fere modo dividi potest, quo supra jura supremae potestatis in universum divisa sunt.

Obs. 2. In utroque capite, ad diversitatem territoriorum prouti sunt, aut Cath. aut Evang. aut mixta, respiciendum est.

Libr. II. Jus publ. c. t. G. practicum.

III.

JVS GENTIVM QVOAD IMPERIUM R. G.

I. *Publicum.*

De nexu Italiae cum Imperio R. G.

II. *Privatum.*

Jus gentium priv. pos. complectitur:

1) jura gentis *originaria*, quatenus pacto vel consuetudine inter gentes confirmantur. Sunt

a) *personalia.*

Quo in loco dicendum erit de dignitate, quam Imperator ejusque legati apud exterios obtinent.

b) *realia.*

Quo in loco dicendum erit de finibus
I. R. G. pacto cum aliis civitatibus inito,
descriptis.

2) jura gentis in gentem pacto *acquisita.*

Quo in loco dicendum erit.

- 1) de garantia pacis Westphalicae.
 - 2) de juribus Imperatoris in sedem
papalem.
-

III.

JVS GENTIVM QVOAD TER-
RITORIA GERMANIAE.

Obs. Est vel *publicum*, i. e. jus, quod in-
ter territoria Germaniae eorumque
principes mutuo intercedit, vel *pri-
vatum*, i. e. jus, quod inter civitates
Germaniae et gentes exteris interce-
dit. Hoc, cum tantum *speciale* sit,
h. l. praetermittitur.

*Jus, quod inter territoria Germaniae eorumque
principes mutuo intercedit.*

Obs. 1. In tractanda hac juris publici
Germ. parte aliter versari debet is,

qui eam separatim proponit, aliter
is, qui eam reliquis subjungit. Hic
enim, cum pleraque omnia, quae
ad h. l. pertinent, eodem jure ad Jus
publicum Imperii et territoriale re-
ferri possint, non nisi de iis ex-
ponere potest, quae in hac parte unice
tradi possunt ac debent. Scilicet in
tractando jure gentium publico 1) de
fundamentis, quibus civitas nititur,
in quam gentes coierunt; 2) de for-
ma hujus civitatis; 3) de juribus ejus
in gentes, quae imperio ipsius pa-
rent, videndum est. Atque haec om-
nia, quatenus ad civitatem nostram
pertinent, jam supra tractata sunt
et tractari debuerunt, nisi forte conten-
das, fines superioritati territoriali
ideo positos, ut cum juribus caete-
rarum Germaniae civitatum conspi-
ret, huic loco fuisse reservandos.

Obs. 2. Tamen h. l. de circulis imperii
eatenus dicendum est, quatenus sunt

E

societas, in quas civitates Germaniae eo consilio coierunt, ut jura supremae potestatis communi consilio exercent: qui locus supra attingi nec potuit nec debuit. Praeterea etiam de foederibus quibusdam dici poterit, quibus Status G. inter se juncti sunt v. c. de foedere principum, quod dicitur: (von dem Deutschen Fürsten- Bunde).

Obs. 3. Si gentes foedere sive aequali sive inaequali inter se junctae sunt, jura privata earum lege aut pacto definitiuntur. Jus, quod ita oritur, si rem, quo pertinet, spectes, est privatum, sin fontem, est publicum. Et erit h. l. de hoc jure omnino exponentum.

A) *De jure, quod inter territoria Germaniae intercedit, publico.*

De circulis Imperii.

Cf. obs. 1. et 2.

B) *De jure, quod inter territoria Germaniae intercedit, privato.*

Cf. obs. 3.

Sunt haec jura:

1) *originaria.*

a) *personalia.*

De dignitate et loco, quem principes eorumque legati in G. obtinent v. c. de honoribus regiis electorum.

b) *realia.*

de finibus territorii.

2) *acquisita.* Quo in loco dicendum erit:

a) de servitutibus juris publici.

b) de associatione circulorum.

Appendix.

De jure privato Imperatoris corumque, qui Imperio immediate subjecti sunt.

Cap. I. De juribus privatis Imperatoris ejusque Familiae.

Quo in loco dicendum erit v. c.

- 1) de titulis Imperatoris.
- 2) de officialibus aulaque I.
- 3) de Imperatrice ejusque officialibus etc.

Cap. II, De jure privato statuum Imperii.

- 1) de jure privatoprincipum secularium.
- 2) de jure privato principum ecclesiasticorum.

Cap. II. De jure privato membrorum imperii
immediatorum, qui tamen status Imperii
non sunt:

- 1) nobilium I. immediatorum.
 - 2) aliorum.
-

Ks 1100

S'

vol 8

W

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



IVRIS¹

PUBLICI GERMANICI

IN ARTIS FORMAM REDACTI

DELINEATIO

ERUDITORVM EXAMINI SUBIECIT

DE

IVRE A POPVLIS CONDITO

IN ARTIS FORMAM REDIGENDO

PRAEFATVS

CAROLVS SALOMO ZACHARIAE

I. V. ET PH. D.

LIPSIAE,

A pud GERHARDVM FLEISCHERVUM jun.

MDCCXCVII.